



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Victor & Corona MM. 14. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

14.Maii. VITÆ S A N C T O R V M . 247
no & Gallieno imperantibus, accusatus impietatis
PONTIVS, & equuleo impositus, machinam pre-
cibus rupit. Ursos in se incitatos cicuravit, togum
extinxit, gladio denique cervices subjecit, usitatâ
Sanctorum modestiâ, quorum plerique capite im-
minuti sunt, superbis puto instituendis hâc potis-
simùm parte indomitis. Ex Surio.

Cum homines quo idie immaturo præventi rapiantur
interitu, quid restat, nisi ut hoc brevi puncto, quo vivi-
mus, lapsura queque velut jam lapsa despiceremus, &
ad ea, quæ permanent, pleno fervide mentis studeamus de-
siderio festinare? S.Petr.Dam.op.12.cap.13.

SS. VICTOR & CORONA MM.

14.Maii.

Auspicatissima nomina suosque triumphos
loquentia, VICTOREM & CORONAM da-
mus. Qui tamen sortitò hæc accipis, laboriosæ fe-
licitatis omen accipere te memento; nam cum Vi-
ctore quis Hercules se componat? Age numere-
mus Magni Herois labores. I. Digitos articulatim
elidendos sine gemitu præbuit. II. In Fornace ac-
censâ triduum desedit. III. Carnes veneno adipa-
tas concoxit. IV. Nervos distendi, solviique com-
pagem corporis ridens tulit. V. Oleum ferre fa-
ctum eodē quo gelidam vultu hausit. VI. Suspen-
sus facibus ardentibus ustulatus est. VII. Vene-
num aceto temperatū pro melle babit. VIII. Con-
figendam utriusq; oculi pupillam obtulit. IX. Pe-
dibus attractus prono capite triduum pependit.
X. cum degluberetur, tyranno tamen insultavit.
Hæc invictâ patientiâ perpresso quid mirum est
bisenos Angelos cælo coronam attulisse, & mi-
norem insuper alteram pro CORONA militari fe-

mina, quæ sic excarnificatum felicem tamen beatumque ausa dicere digna Deo visa est, quæ non agones tantum illius, sed præmia etiam aspiceret. Annum conjugii alterum, vitæ decimum sextum agebat, quo propius miraculo fuit non trepidasse, cum bina palmarum cacumina ad terram ingenti depressa nisu cerneret, quæ à se invicem iterū distracta medium distraherent. Alligari tamen se sustinuit, & lacerato corpore, integrū animū cælo intulit. VICTOR gladio cæsus eam secutus est: sic olim ad astra itum. Nunc coronæ vilius veneunt. Nullę nos palmę distractahunt; animū à mūdo avelle, Coronam spondeo, & Victore appellabo. Ex S. M.

*Mundo se extraneum homo reddat, ut Deo propensis
ris gratiæ largitate familiaris adhæreat. Mundo mor-
tuus vivat, à terrenis vexationibus se subtrahat, &
velut in sepulchro jam positus in solo Creatoris sui des-
derio suaviter requiescat. S.Pet.Dam.op.12.c.32.*

SS. PETR. PAUL. ANDREAS, DIONYSIA,
MM. 15.Maii.

ITerum triumphantem adolescentiam damus, ne quis magnam virtutem annis metiatur. Imperante Decio, Lampsaci, in ipsâ turpitudinis patriâ, PETRVS adolescens adorare Venerem iussus; ego illam, inquit, cujus vita perpetuum probrum fuit? quæ ex lupâ facta Dea est, neque aliâ gratiâ templis à vobis recepta est, quam quod omnium mortalium inverecundissimè peccârit? Hujus dæti libertatem PETRVS in rotâ jussus luere, omnibus confractis ossibus, nec vultum nec animum mutavit; donec gladio ejus patientia finita est. Troadem deinde properanti Proconsuli Nicomachus, audacior quam fortior, suam in Christum fidem